

sunt modo aliquo nostra, quia sunt bona spiritalia et divinæ naturæ proportionata. Quare male et inconsiderate loquuntur, qui optant oppetiisse mortem in cunis. Non enim creati sumus ut infantes moriamur, sed ut Deo serviamus, quod fit maxime bonis operibus. Sic enim apostolus ait, II. Cor. VI. *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, etc.* Quod si igitur Deum prout debemus rite et optime colere volumus, per bona opera possumus; per jejunium sacrificamus ei corpus; per orationem animum; per eleemosynam opes. Unde Origenes, I. IX. in ep. ad Rom. ait: « Qui membra sua mortificant, hostiam viventem rationabiliter offerunt et legem sacrificiorum quæ in Levitico est, secundum spiritualem intelligentiam complent; si superbiam vincunt, immolant vitulum; si iracundiam superant, arietem; si libidinem, hircum; si vagos et lubricos cogitationum resecat volatus, columbas et turtures. » Hæc Origenes.

IV. Ut per ea fidem nostram profiteatur et monstremus. Hoc enim est, quod ait Dominus, Matth. V. *Neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est.* Operibus probare te Christianum debes. Sic enim et Dominus non verbis, sed operibus Messiam se probavit discipulis Joannis: *Renuntiate, inquit, Joanni, quæ audistis et vidistis, cæci vident, etc.* Matth. IX. Accidit forte ut transiens quis circa vineam diligenter cultam, bene fossam et putatam dicat: profecto hujus vineæ cultor et dominus, vir sedulus sit necesse est; siquidem vineam suam tuam sedulo excoluit. Hoc idem dicunt externi de bonis Christianis, si bona eorum opera videant, non enim ipsos tantum bonos, sed bonum etiam Christianorum Deum, bonam religionem dicunt. Sic tempore Maximini imp. cum Christiani jussu imperatoris undique civitatibus pellerentur, grassante ingenti peste et fame in gentiles, cum passim cadavera insepulta jacerent et homines præ fame simulacra apparerent et inedia conficerentur: tum gentiles Christianos utpote beneficos et misericordes invocare cœperunt, quos paulo ante expulerant ut eleemosynis eis succurrerent et mortuos eorum sepelirent; dicebant enim apud ipsos tantummodo miserationes valere, quæque humanitatis et pietatis sunt servari: nec tam veram sanctamque religionem, tamque in omnibus perfectam ullam esse, quæ universis

hominibus tamquam propinquus et proximi consulere soleat. Christiani igitur opibus suis plurimorum inediam consolati, et cadavera sepelierunt, et ad ægros intrantes nihil contagiosi patiebantur. Unde factum ut idololatram non modo Christianos ab omni scelere vindicarent, sed ipsos cœlos bonos et pios, magnumque Christianorum Deum prædicarent, Euseb. in hist. eccl. lib. IX. c. VII. Unde bene S. Petrus, 1. ep. c. II. monet Christianos ut conversationem inter gentes habeant bonam: *Ut qui detrectant de vobis, inquit tamquam de malefactoribus, videant opera vestra bona.* Quod si in hoc obediremus apostolo, religionem nostram facili negotio infidelibus persuaderemus, vel certe eos confunderemus, uti nec os contra nos aperire audent; sed quia vident multos perditos vivere, ideo putant legem et religionem nostram id jubere vel permittere.

V. Ut gaudium nostrum sit plenum. Ita Joan. XVI. specialiter de oratione dixit: *Petite et accipietis ut gaudium vestrum sit plenum.* Id quod de omnibus aliis operibus bonis dici potest. Quo modo, inquis, per orationem vel alia bona opera gaudium nostrum fit plenum? Respondeo, quia bona opera nostra efficiunt ut gloria et bona alia a Deo nobis dentur velut merces et præmium, non ut donum præcise: hic autem respectus præmii facit gaudium perfectum. Idcirco cum nobis donum offertur immeritis, staram dicimus: Si commeruissem vel in minimo, libenter acceptarem. Ita enim sumus aliqua causa saltem secundaria meriti nostri, idque habemus per nos ipsos, uti D. Thomas, III. p. q. XIX. art. III. docet. Patet in studiosis qui cum præmia aliqua accipiunt, quæ sua industria promeriti sunt, aliud ex scriptione, aliud ex Græcis, aliud ex poesi, etc. gaudio pleni sunt. At si alicui præmium offerretur cum hoc addito, quod ei mere gratuito detur, non ex merito, tunc id vel non accipiet, vel certe exiguo cum gaudio. Similiter principis filius, qui cervum insignem sua manu premit aut arcu suo prostravit, multo plus lætatur, quam si centum ei cervi offerantur capti a venatoribus; ita S. Martino major gloria fuit audire a Christo: *Martinus hac me veste contexit, quam si cælum ei donatum fuisset.* Propterea Jacob cum haberet plures et potiores possessiones, nulla magis delectabatur, quam agro illo Sichemensi, quem ademptum sibi ad Amorrhæis, vi et armis iterum eis abstulerat: unde eum velut rem charissimam legat filio charissimo, Josepho, Gen. XLVIII. *Do tibi partem unam, inquit, extra fratres tuos, quam de manu tui Amorrhæi in gladio meo et arcu.* Quare ut gaudere plene possemus, voluit Deus ut per bona opera cælum

mereremur: quia vero propriis viribus promereri id non possumus, elevat nos per gratiam ut possim. Sic princeps dat filio falconem, quo aves superne volantes capere possit. Falco noster, gratia est: aves præmia operum cœlestia: unde fit ut major gratia sit, quod Deus velit nos promereri cælum, quam si omnino gratis daret.

VI. Ut inter sanctos in Ecclesia tam militante, quam triumphante, pulchra et suavis quædam varietas sit meritorum et præmiorum. Ut enim in mundi bonis non minimum est tanta creaturarum, in republica tanta, statuum, civium, munerum, officiorum diversitas: ita et in cælo et Ecclesia. Quid enim pulchri foret, si omnes essent æquales in doctrina, dignitate, opibus, etc. Hæc autem varietas melius haberi non potest, quam per bona opera, quæ sibi quisque parit. Nam si prorsus gratuita esset præmiorum diversitas, tunc unus alteri invidere et contra Deum murmurare posset, quod uni plus dederit quam alteri, qui nihilo plus sit meritis. Ut ergo nullus conqueri possit, voluit Deus præmia singulorum dependere ab eorum meritis: atque ita liberum cuique fecit ædificare sibi in cælo domum, qualem ipse vellet, sive auream, sive argenteam, sive lapideam. Nam per bona opera ædificare sibi quemque in cælum domum patet ex I. IV. dial. S. Greg. c. XXXVI. ubi sancto Deus dedit visa ædificari in cælo pulcherrima domus singulis sabbatis, quibus ille pecuniam, quam sutoria arte pararat pauperibus ad fores S. Petri attulisset: et ex vita S. Joannis eleemosynarii, qui triginta libris pulcherrimam sibi in cælo domum comparavit. Itaque qualem sibi quisque habitationem parat, talem inhabitabit: hinc jam omnes beati suis præmiis contenti esse debent et sunt; quia si alium vident plus accepisse, vident etiam plus laborasse. Unde fit, utposito tanto præmio, non possint majorem beatitudinem appetere. Propterea Dominus, Matth. XX. in parabola operationum uni illorum ait: *Amice, non facio tibi injuriam, tolle quod tuum est, quasi dicat: Tantum meruisti et non amplius: si plus mereri voluisses, plus accepisses.*

VII. Quia est generalis lex naturæ, et commune decretum, ut non coronetur, nisi qui legitime certaverit, 1. Tim. II. et ad præmia non pervenitur, nisi per labores. Hoc intellexere Romani etiam gentiles, qui, teste S. August. de civit. I. V. c. XII. templum honoris et virtutis ita contigua extruxerant, ut ad honoris templum perveniri non posset, nisi per templum virtutis: Lacedæmonii liberis suis non dabant escam, nisi quam sagitta dejecissent: terra promissionis donata est a Deo Israelitis, debuerunt tamen

eam multis præliis lucrari, et ejicere inde reges: in ejusdem rei figuram Jacob prius vocatur Jacob, id est, luctator, quam Israel, id est, videns Deum: Benjamin, id est, filius dexteræ, prius Benoni, id est, filius doloris: Jerusalem, prius Jebus, id est, conculcatio, quam Salem, id est, pax. Sabbatum præcedebat semper parasceve, id est, præparatio, scilicet ciborum pro sequenti sabbato: sic præparatio honorum operum in hac vita præcedit sabbatum alterius vitæ, ubi non licet operari. Quod adeo rationi consentaneum est, ut nemo prudens magnum aliquod beneficium petere a rege facile audeat, quia nihil ejus gratia præstiterit, servum etiam otiantem, et si nil mali committat, nemo facile in domo patitur, nedum remunerat. Igitur et Deus ab hoc communi decreto neminem exemit: non angelos, non Matrem Filii sui, non Filium. Et communiter omnibus cœli honores petentibus ait, quod Jacobo et Joanni dixit, Matth. XX. *Potestis bibere calicem?* Si dispensationem pateret hoc decretum, certe cum aliquo illorum dispensasset. Cujus decreti generalis ratio mihi videtur esse: ut ita omnes intelligant, gratuita illa dona sibi nequaquam deberi. Si enim sine omni conditione onerosa darentur, facile homines possent opinari, sibi ista naturaliter debita esse: et auctori Deo nihil adscriberent. Ita, exempli gratia, sæpe diutissime subtrahit nobis solis radios, aut pluvias, vel segetes perire sinit: ne cogitemus ea nobis deberi, sed moneamur promerenda et impetranda esse. Et hæc dona naturalia; quanto magis supernaturalia, quæ nullo titulo nobis debentur? Errant igitur toto cælo, qui sine honorum aliis ad cælum volare contendunt. Marius cum Cimbris præliaturus, cum exercitus ejus siti laborans, utpote loco arido castrametatus, indignaretur et aquam peteret sublato digito eminus fluvium castra hostium præterlabentem ostendit: *Qui sinit, inquit, sitimque levare cupit, illuc eat ad aquatum.* Maiol. tom. III. canicul. coll. II. sic et Deus tibi præmia in cælo monstrat, sed ea deinceps prius arcu tuo: pugna prius et vince, si bibere vis de torrente voluptatis ejus.

## CONCIO IV.

QUINAM FRUSTRA DICANT DEO: DOMINE, DOMINE.

I. Tales sunt heretici. — II. Christiani, qui voce confitentur Christum, factis negant. — III. Qui bona desideria non perficiunt. — IV. Quorum omnis devotio in externis est operibus.

## THEMA.

*Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Matth. VII.

In more receptum est apud nos et plurimas

alias nationes, ut adventanti hospiti non tantum ore salutem precemur, amicitiam nostram insinuantes, sed præterea manum demus. Hoc idem observatum legimus, l. IV. Reg. c. X. a rege Israel Jehu, qui cum ad destruendum Baal, ejusque sacerdotes pergeret, obvium habuit Jonadab, eique dixit: *Numquid est cor tuum rectum cum corde meo, sicut cor meum cum corde tuo?* Cui respondit Jonadab: *Est. Si est, inquit Jehu, da manum tuam.* Dedit Jonadab manum, et rex levavit eum ad se in currum suum, ac dixit: *Veni mecum, et vide zelum pro Domino.* Mystice Jehu significat Christum Dei Filium, qui de caelo ad judicium veniet, ut destruat peccatum ejusque cultores. Ubi nos omnes obviam ei ibimus; ipse vero unumquemque interrogabit de dilectione, utrum diligamus eum, quemadmodum et ipse dilexit nos. Sed nequaquam contentus erit sola vocis assertione; quia ut primum audivimus: *Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum.* Manum præterea postulabit, id est, veram et sinceram operationem, qua amorem nostrum erga ipsum serio et reipsa demonstramus. Unde subdit: *Sed qui facit voluntatem Patris mei, etc.* Et tunc levabit nos in currum gloriæ suæ, alioquin vero minime. Merito igitur antequam Christo obviamus, nos ipsos interrogamus, quomodo eum excepturi simus. Sic enim monet Eccl. c. XVIII. *Ante judicium interrogate ipsum, et in conspectu Dei invenies propitiationem.* Quinam igitur sunt, qui non recte excipiunt Dominum, adeoque frustra dicunt: *Domine, Domine?* Audiamus.

I. Tales sunt hæretici Lutherani et Calvinistæ, qui nituntur fiducia quadam, ut vocant speciali, qua certo se salvandos credunt, sine omnibus operibus, credunt enim se divinarum promissionum de justificatione et remissione peccatorum certo participes factos. Sed hæc eorum fiducia merum est figmentum et convellitur ab hoc uno loco: *Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, etc.* Isti namque fidem in Christum Dominum habere ponunt, neque aliunde reprehenduntur, nisi quod voluntatem Patris non faciant: et tamen illis regnum caelorum negatur. Similiter illi, qui in judicio dioturi sunt (ut post hodiernum evangelium sequitur): *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, etc.* (fidem habuere, non enim hinc rejiciuntur, quomodo alioqui in nomine ejus prophetassent?) sed quod operarii fuerint iniquitatis. Et tamen audient: *Quia non novi eos.* Dicunt ergo hæretici: *Domine, Domine, nonne tu pro nobis passus es, et pro nobis satisfacisti? Numquid perfecta sunt merita et passio tua? Sed audiant isti: Nonne etiam Christus pro nobis baptizatus est? Et ta-*

men baptizari debet, qui vult fieri particeps meritorum Christi. Dicere etiam possem: Nonne etiam Christus pro nobis resurrexit, et in caelum ascendit? Ergo necessarium non est, ut nos resurgamus et ascendamus? Aliter certe apostolus ad Rom. VIII. *Hæredes quidem Dei* (sumus), *coheredes autem Christi: si tamen compatimur, ut et conglorificemur: et II. Tim. II. Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit: item: Si commortui fuerimus et convivemus; si sustinebimus et conregnabimus; si negaverimus et ille negabit nos.* Negatur autem Christus non verbis tantum, sed et factis, ad Tit. 1. Ratio vero est, quia si sola fides solaque Christi merita absque cooperatione nostra sufficerent ad salutem, nonne Christus otium hominum foveret, imo ad quævis mala patranda licentiam et securitatem præstaret; audi vel ipsum Lutherum, in l. de visit. Saxon. sanius (quam alias) scribentem: «Multi, inquit, dum audierunt, ut solummodo credant omnia ipsis peccata remitti, fingunt sibi fidem, et putant se mundos esse, per quod fiunt temerarii et securi: cujusmodi autem carnalis securitas pejor est omni errore, qui ante hoc tempus unquam fuit.» Hæc Luth. Et tamen ille super hoc figmentum totum suum evangelium et omnem suam doctrinam ædificavit. Quid ergo nos aliud contra eum dicere possemus? Deinde, licet Christus promiserit nobis justitiam, remissionem peccatorum, gloriam, num ideo nos cooperari non debemus: loquatur asina, ipso Balaamo sapientior; loquatur caro animo prudentior; loquatur agricola doctoribus doctor. Promisit nobis Christus subsidia temporalia, victum et amictum, dicens: *Respicite volatilia caeli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: et Pater vester caelestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis?* Matth. V. An propterea agricolæ non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, quia sciunt Deum sibi victum promississe. Profecto lepidi sunt homines, et similes Euchitis; antiquis illis hæreticis, qui damnabant laborem, et cibum a Deo expectandum esse dicebant, quod etiam nostro tempore, anno 1534. Anabaptistarum quidam ut Joannes Leidanus et David Georgius, in episcopatu Ultrajectino multis simplicioribus persuaserunt.

II. Tales sunt mali Christiani, qui voce confitentur se nosse Christum, adeoque etiam necessaria esse bona opera ad salutem consequendam, factis autem negant. Dicunt isti: *Domine, Domine, quia satis sibi esse putant, quod sint baptizati, confirmati, et catholici, de præceptorum observatione nihil solliciti sunt, nec quidquam boni operis curant afferre Deo. Quibus recte dicit Dominus: Non omnis, qui dicit mihi:*

*Domine, Domine: et Luc. VI. Quid vocatis me, Domine, Domine, et non facitis quæ dico?* An nescimus quid evenerit illi ficui, quæ folia tantum habuit, et quærenti in ea fructum Christo nullum præbuit? Annon Domini voce arefacta est, Matth. XXI. Nonne ficus illa plantata in vinea patrisfamilias, cum triennio esset sterilis, jussa est excindi? Luc. XIII. Christianus operibus bonis carens, per ficum illam designatus est, qui instar ficus frequenter et incessanter bonorum operum fructus debet proferre: negativa quidem præcepta observando semper, positiva vero, pro exigentia loci et temporis: foliis enim verborum, quibus dicit: *Domine, Domine, nonne Christianus et catholicus sum, minime contentus erit Dominus. Romani censores, si forte offendissent in urbe quempiam otiosum, interrogabant eum, qua arte uteretur intuebanturque ejus manus an callo obduruissent, et inde dijudicabant, essetne artifex, an potius vagus et inutilis apparebat, relegabatur, refert Osor. tom. V. conc. in dom. septuag. Faciet hoc in judicio Deus maxime Christianis: examinabit enim manus, id est, opera eorum: *Esurivi, et non dedisti mihi manducare, etc.* nec contentus erit nuda fidei professione, quam quasi instrumentum artis gerimus nobiscum.*

Habuere absque dubio operarii illi stantes in foro instrumenta sua, ligones et secures super humeros, nihilominus tamen audiere: *Quid statis hic tota die otiosi?* Matth. XX. Et cum ad mercedem vocandi essent: *Voca operarios, dixit paterfamilias, non stationarios, nec mercedem reddidisset illis, siligonem tantum super humeros tenentes in vinea deambulassent.* Addo etiam, si ibi, non domino laborassent, v. g. si unus numerasset suam pecuniam, alius caligas suas resarcisset, mercedem non accepissent: sic nisi Deo laborem et quæramus, quæ Jesu Christi sunt, non quæ nostra, nequaquam operarii Dei erimus. Certe operarii, quos ad agros vestros colendos conducitis, totam diem laborant vobis, ita ut vix per horam vacent sibi; alioquin mercedem a vobis non accipiunt. Et quomodo nos operarii Dei dici volumus, qui pene totam hebdomadam propriis negotiis impendimus, e vix unam alteramve horam Deo et divinis rebus? Media hora per diem missæ audiendæ non impenditur: concio paulo longior in hebdomade semel difficulter auditur: confessio et communio vix semel iterumve in anno peragitur: una hora orationi festivis diebus in tanta orandi necessitate non impenditur: et putamus nos mercedem a Deo accepturos, si dixerimus: *Domine, Domine, nonne semper laboravimus, liberos cum labore educavimus, victum et vestitum in sudore vultus nostri paravimus, etc.*

Sane de seipso scribit S. Hieronymus in regula monachorum. cap. XV. quod cum Jerosolymis militaret Deo in jejuniis, vigiliis et lacrymis, interim tamen valde afficeretur lectione librorum profanorum, Ciceronis et Platonis, raptus aliquando sit in spiritu ad tribunal Christi: ubi conditionem interrogatus, respondit se Christianum esse: sed ille qui præsidebat: *Mentiris, dicebat, Ciceronianus es, non Christianus: ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Ad quæ verba illico obmutuit Hieronymus, et dire flagellatus est, adstantium tamen precibus obtinuit veniam adolescentiæ et errori locum penitentiae. Cujus rei non vanæ, testes fuisse ait oculos plenos lacrymis et scapulas plenas vulneribus, doloremque adhuc remanentem. Quod si ergo vir hic alioqui Deo vacans, tantum ob avidius studium librorum profanorum a Deo male exceptus est coram Dei tribunali: quid fiet illis qui omnia sua studia vertunt ad sæcularia negotia et lucra nostra transitoria? Qua fronte petere a Deo mercedem poterunt? *Qui non laborat, nec manducet,* ait apostolus.

III. Tales sunt qui multoties pia desideria habent peccata deserendi, penitentiam agendi bene operandi, et bene afficiuntur erga Deum, et virtutem, nunquam tamen effectui dant, quæ proponunt, nec colunt reipsa Deum et pietatem. Multi concipiunt sæpe optima proposita in concionibus, lectione piorum librorum, ægritudine, v. g. cavendi hoc vel illud grave peccatum diu occultatum, intrandi religionem, restituendi ablata, cessandi a lucro injusto, fornicatione, etc. Dicunt hi omnes: *Domine, Domine, parati sumus obedire tibi, faciemus quæ a nobis requiris, tantum patientiam habe in nos et omnia reddemus tibi.* Sed interim non exequuntur, quæ concipiunt animo suntque instar picti cursoris, qui semper videtur currere, nunquam tamen passum facit; quia pedem alterum, id est, executionis nunquam elevat. De his dicitur Job, cap. XXXIX. *Penna struthionis similis est pennæ herodii et accipitris.* Struthio enim pennas quidem habet, similes pennis earum avium, quæ altissime volant, et conatur quasi volare, sed ob corporis vastitatem et gravitatem nequit se de terra levare, solum in terra currit. Ejusmodi sunt, qui desiderant et vellent Deo servire, pietates sectari, vitia deserere, sed ob curas, voluptates et divitias retinentur. Fuit talis struthio Balaam, qui primo bene quidem precabatur israelitico populo: occasione tamen lucri oblatus, quod prius contempserat, victus in obstinatione et malitia sua persistit. Dicebat: *Moriatur anima morte justorum, et fiant novissima mea horum (Israelitarum) similia,* Num. XXIII. sed interim bene vivere

cum Israelitis non curavit, imo quos ore laudarat, malo consilio perditum ibat. Nuper etiam quidam princeps hæreticus aut potius politicus, bonæ tamen indolis et ingenii, rogatus quid de catholicis et Calvinistis sentiret, utrorum fides esse verior, respondit argute: *Se malle vivere cum Calvinistis, sed mori cum catholicis, quod horum mors sit lætior et securior, illorum vita sit licentior et voluptuosior*, ut refert Corn. a Lapid. in cap. XXIII. Num. Verum sanius et suæ salutis congruentius dixisset: Quando quidem malo mori cum catholicis, malo et cum iis vivere, bona enim mors a bona vita pendet, et impossibile est eum, qui hæretice aut male vixit, bene et feliciter mori. Prudentius etiam Balaam dixisset: Vivat anima mea vita justorum, ut moriatur morte justorum. Qui enim vivit vita piorum certo morietur morte piorum, et qui vivit vita impiorum, certo morietur morte impiorum. Non desunt etiam inter catholicos, qui desiderant mori cum catholicis et justis, sed interim nolunt vivere cum catholicis, jejunare, sacramenta frequentare, etc. Qui tandem aliquando sera nimis desideria frustra concipient, quæ prius effectui dare noluerunt: *Tunc incipient foris stare*, ut testatur Dominus, Luc. XIII. *et pulsare ostium dicentes: Domine aperi nobis. Et respondens dicit, illis: Nescio vos, unde sitis.* Cujus exemplum patet in Chrysaorio illo apud S. Greg. I. IV. dial. c. XXXVIII. qui *inducias vel usque mane* petens non est auditus. Væ igitur prægnantibus in illis diebus, id est, qui bona sua vota et desideria in effectum non deduxerunt, Matth. XXIV.

IV. Tales sunt quibus omnis devotio in externis operibus bonis, ut in orationibus, audiendis missis et concionibus, danda eleemosyna, jejniis, peregrinationibus, aspero vestitu, ciliciis, habitu religioso consistit, de internis vero, quomodo vitia sua expugnent, seipsos vincant et pravos animi sui affectiones mortificent, nulla sollicitudo est, cum tamen hæc uti magis difficilia ita magis etiam necessaria sint. Tales erant Pharisæi, quos redarguit Dominus, Luc. XI. dicens: *Væ vobis Pharisæis qui decimatis mentham et rutam et omne olus et præteritis iudicium et charitatem Dei: hæc autem oportet facere et illa non omittere*, q. d. hæc uti magis necessaria ante omnia debeatis facere, et illa ut minora non omittere. Parum profuit Pharisæo illi, qui dicebat: *Jejunio bis in sabbato, decimas do, etc.* interim vero superbiam suam non expugnavit. Quemadmodum enim multo plus refert, ut calix et catinus intus sit mundus, quam ut extra sit ornatus, ita multo magis requirit Deus, ut cor a vitiiis purgemus et nos ipsos vincamus, quam ut opera bona externa patremus, pecca-

tis interim subditi. Ratio, quia charitas est fundamentum, in quo extrui muri honorum operum debent. Qui ergo prioris generis opera tantum præstat, orat, jejunat, dat eleemosynam, frequentat sacrum, peregrinationes suscipit, nec studet extirpare vitia sua, similis est ædificanti super arenam (quam parabolam subjungit Dominus hodierno evangelio): *Descendit autem pluvia et venerunt flumina et flaverunt venti et irruerunt in domum illam et cecidit, et fuit ruina ejus magna.* Talis Guilielmus dux Juliensis, qui ut scribit Cæsarius, I. XII. cap. V. in festo nativitatis Domini sub tribus missis tantam audit cantus suavitatem, ut paratum diceret omnia relinquere, si vel semel adhuc eum audire posset. Et tamen interim malus erat, nec peccata sua emendare studuit. Omnes isti malæ et inutiles arbores sunt. Primi prorsus steriles: secundi ferunt folia tantum: qui tertio loco, flores proferunt, non fructum: qui quarto, fructum ferunt, sed parum utilem. Omnibus his dicitur: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur; quod a nobis avertat Deus.*

## CONCIO V.

## MENDACIUM QUAM SIT FUGIENDUM.

I. Quia intrinsece malum. — II. Quia obest reipublicæ. — III. Quia fidem adimit dicenti. — IV. Quia infames facit. — V. Quia difficile emendatur. — VI. Quia pœna dignissimum.

## THEMA.

Attendite a falsis prophetis. Matth. VII.

Libro III. Reg. c. ult. legimus Achab gestentem exire ad præliandum sine causa, congregasse pseudoprophetas quadringentos circiter, interrogasse eos, num exire deberet ad præliandum. Qui omnes ad placitum regis locuti, suaserunt bellum et prædixerunt ei victoriam. Sed Michæas, qui solus tunc propheta Domini remanserat, ad extremum etiam consultus, contrarium vaticinabatur, dicebat enim: *Vidi Dominum sedentem super solium suum et omnem exercitum cæli assistentem ei a dextris et a sinistris. Et ait Dominus: Quis decipiet Achab regem Israel ut ascendat et cadat in Ramoth Galaad. Et dixit unus verba hujuscemodi et alius eliter. Egressus est autem spiritus et stetit coram Domino et ait: Ego decipiam illum, cui locutus Dominus: In quo? Et ille ait: Egrediar et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Et dixit Dominus: Decipies et prævalebis, egredere et fac ita.* Porro res ut prædicta erat a Michæa, evenit, vulneratus enim in prælio Achab occubuit. Videtur mihi Achab iste designare mundum, qui et ipse vult

decipi, et mendacium audire, non veritatem. Egreditur ergo spiritus in mundum ut decipiat ipsum in ore hominum mendacium. Et sane videtur his temporibus spiritus mendaciorum prorsus liberatus et in mundum egressus prophettare in ore infinitorum pseudoprophetarum. A talibus ergo nobis attendere debemus, non solum ut ne ab iis decipiamur, sed etiam multo maxime ut ne tales ipsi simus. Prisci Ægyptiorum sacerdotes, quo principem suum monebant, in omnibus semper veritatis habendam esse rationem, sapphirum, qui cælo sereno similis et veritati typus est, collo ejus appendebant, ut ejus intuitu, nihil nisi verum diceret, apud Ælian. I. XIV. c. XXXIV. Volo ego eadem gemma collum vestrum ornare. Quæso igitur, patiamini hoc facientem.

I. Mendacium fugiendum, quia intrinsece malum, nec ullo bono fine dishonestari potest, quoniam per se tendit ad deceptionem proximi, adeoque est contra jus societatis humanæ et contra legem naturæ, dictantis non esse fallendum et contra mentem loquendum. Cum enim verba scripturæ, nutus et ejusmodi introducta sint partim a natura, partim ab hominibus ut signa et interpretationes quædam sententiarum nostrarum et conceptuum, manifestum est peccare eum qui illis abutitur nec conformat ea conceptui suo, et aliud per ea proximo significat quam mente gerat. Sic enim illum in errorem inducit velut horologium in se quidem recte ambulans, foris autem perperam horas ostendens. Vidit hoc etiam Aristoteles, IV. eth. c. VII. cum dixit: *Per se autem mendacium improbum est et vituperabile: verum autem probum de laudabile.* Unde imprimis sequitur impossibile esse mentiri Deum, ut ait apostolus ad Hebr. VI. et idcirco Proverb. XII. dicitur: *Abominatio est Dominus labia mendacia.*

Sequitur secundo, omne mendacium esse peccatum, juxta id Eccl. VII. *Nolli velle mentiri omne mendacium.* Jocosum porro mendacium deterius est officioso: perniciosum vero utroque.

Sequitur tertio, mendacium etiam bona intentione factum, esse peccatum: unde non licet mentiri etiam pro laude Dei, ut docet August. ep. VIII. et IX. Quod enim bonum est, ex omni parte bonum esse debet; mendacium autem est secundum se actus malus, naturæ et Dei legi contrarius: unde nec humilitatis causa mentiri licet. Nam Augustinus de verbis apost. ait: *Cum humilitatis causa mentiris, si non eras peccator ante quam mentiretis, mentiendo efficeris quod evitaveras.*

Sequitur quarto, non licere mentiri etiam ad vitam tuendam: dicit enim apost. ad Rom. III.

non esse facienda mala ut eveniant bona. Refert Metaphr. apud Sur. 27. april. de Anthimo Nicomediensium episcopo et martyre, qui cum sævientem Maximiani Cæsaris persecutione a viginti satellitibus ad eandem quæreretur, ipsos satellites hospitio excepit, mensamque prælautam eis apposuit ac simul addixit se brevi Anthimum in eorum conspectum adducturum; in medio vero ciborum apparatus exurgens palam prodidit se esse, quem tam studiose quærerent. His illi stupore attoniti ob benevolentiam qua illos exceperat una sponderunt se imperatori renuntiuros, Anthimum diu quæsitum, non esse inventum. Ille vero contra obtendit se id non permissurum: fas non esse Christiano pro vita cujusquam mentiri. Itaque ultro se captivum illis adjunxit et ad martyrium perrexit. Illustre etiam hujus rei exemplum extat apud B. Hieron. de muliere septies icta, quæ falso accusata de adulterio: «Sexu fortior suo, cum equuleus corpus extenderet, et sordidas fœtore carceris manus post tergum vincula cohiberent, oculis quos tantum tortor alligare non poterat, suspexit ad cælum, et volutis per ora lacrymis: Tu inquit, testis es Domine Jesu, cui occultum nihil est, qui es scrutator renis et cordis, non ideo me negare velle, ne per eam, sed ideo mentiri nolle ne peccem. At tu miser homo (alloquitur adolescentem, de eodem scelere falso accusatum, qui mentitus erat se reum et illam, ut tormenta effugeret, si interim festinas, cur duos interimus innocentes? Equidem et ipsa cupio mori, sed non quasi adultera; præsto jugulum, micantem intrepida excipio mucronem, innocentiam tamen mecum feram. Cum autem consularis duplicari tormenta juberet, una interim ejus vox erat: Cæde, ure, laecera, non feci. Si dictis tollitur fides, veniet dies, quæ hoc crimen diligenter discutiat: postea miserrimi juvenis caput uno ictu amputatum est. Mulieris vero tangi quidem, sed truncari non potuit, ne septies quidem repetito a diversis carnificibus ictu. Ita clam erepta manibus carnificum sanitati restituta est, et libertate a Cæsare tandem donata.» ut fuse prosequitur Hieronymus. Licet tamen interdum veritatem occultare, quando audientes indigni sunt: vel loquens aliisve magnum aliquod periculum incursum est: alias non, quia Anselmus, in ep. ad Corinth. ait: *Qui veritatem occultat et qui mendacium profert, uterque reus est, ille quia prodesse non vult, iste quia nocere desiderat.*

Sequitur quinto, non licere regulariter uti amphibologiis, quia hoc lædit etiam communiter humanam conversationem. Licet tamen, cum grave aliquod damnum tibi vel alteri ins-